

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Rudolphi Goclenii Exercitationes et disputationes ethicae & politicae

Goclenius, Rudolph

Marpurgi Cattorum, 1601

XCIX. An disciplina militaris sinis victoria?

[urn:nbn:de:bsz:31-109121](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109121)

opinionem cadant, respectu diversorum hominum. Fieri enim potest, & quidem sæpè fit, ut, quod unus percepit scientia, opinetur alius, aut credat. Præterea, quomodo negari potest opinionum aliam esse pravam, aliam bonam? Respon. Alia est prava, id est, falsa: alia bona, id est, vera. Nulla verò est bona aut prava moraliter (possum enim ethicè esse bonus, & tamen habere falsam opinionem) nisi quatenus ex ea ad bonos vel ad praves mores atq; vitia incitor, & reddor proclivior.

XCIX.

An disciplina militaris finis victoria?

Distiguatur.

ARISTOTELES 1. Ethicor. cap. 1. ait, Medicinæ finem esse sanitatem: militaris artis finem esse victoriam. At contrarium asserit libro 1. Topicorum, cap. 2. nempe, Medicæ facultatis finem esse adhibere omnia quæ valent ad sanandum. Sic finis Oratoris est, nihil eorum prætermittere, quæ valent ad persuadendum, licet non persuadeat. Conciliatio horum locorum hæc esse potest: Distinguendum inter finem artis internum & externum. De interno loquitur Aristoteles in Topicis, De externo hoc loco. Internus est positus in artis facultate. Eum igitur ars semper consequitur. Externus in eventu positus

ck.

est. Hunc ars interdum non consequitur, etsi semper pro viribus nitatur eum consequi. Alii artis finem à fine artificis distinguunt: ut medicæ quidem artis finis sit, nihil omittere eorum, quæ ad sanationem faciunt: Medici verò sanare: quo fine non raro excidit. Alii respondent: in Topicis Aristotelem loqui philosophicè & *κατ' ἀγ' ἡθικῶν*. Hic verò populariter, seu *κατὰ δόξαν*, id est, ex opinione vulgi.

C.

An omnia peccata sint aqualia? Seu, an sit peccatorum gradus?

Negatur.

Exordium. Quemadmodum apiculæ non tantum colligunt amœnos & fragrantissimos flosculos, sed etiam mellificio student, idq; exercent, hoc est, succum florum in mel dalcissimum convertunt: Sic Scholasticos oportet non tantum accipere aliena dictata, præceptaq; artium addiscere, ac memoriæ mandare, sed etiam conati aliquid ex se gignere, & ab aliis tradita, lecta, auditaq; in suum succum convertere. Id quod fit quotidianis dicendi, scribendi & disputandi exercitiis. Manus scilicet, agebat Anaxagoras, crebrisq; hoc sermonibus Melanchthon usurpabat, est causa Sapientiæ, id est, optimus Magister est usus & exercitatio. Et alius, nescio quis: Tantum scimus,